DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

With the sincere respects of the Author.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
APOPLEXIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS PATON, A. M.

Scotus,

REGII COLLEGII CHIRURGORUM EDIN. PERMISSUS,

ET SOCIET. MED. CHIRURG. ABERDONEN.

SOCIUS.

IV. Id. Julii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS WALKER.

MDCCCXXXIII.

THOMAE BROWN, ARMIG. M. D.

LONDINI MEDICINAM EXERCENTI,

&c. &c.

QUANTI VIRTUTES FACIT QUAE EUM EXORNANT

TENUIUS LICET TESTANDI GRATIA,

ACADEMICAM HANCCE DISPUTATIONEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

SORORIS EJUS DECESSAE FILIUS,

D.D.QUE

AUCTOR.

JOHANNI CAROLO OGILVIE,

ARMIGERO, M. D.

ABERDONENSI,

PRO TESTIMONIO, QUAMVIS LEVI,

ANIMI OB EJUS IN SE DISCIPULUM

QUONDAM BENIGNITATEM GRATI,

PAGINAS SEQUENTES

D. D. C.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

HISTORIA ET DEFINITIO MORBI.

Apud scriptores temporis fere ortae medicinae, et ubi ea propriâ pro disciplinâ primum excoli coepit, morbi haud deest mentio, qui argumentum Dissertationis hujusce efficit. Ab Hippocrate, sub nomine quod hodie gerit, memoratur, ab ἀπὸπλήσσω, percutio, quia quem invaserit, morbus eum subitò fere percutere solet.

Auctores nosologici, quod ad definitionem Apoplexiae accommodatiorem, inter se discrepant. Ea quam medici recentiores plerique videntur prae-

ferre, Culleni est nostri celeberrimi, a quo sic describitur: " Motus voluntarii fere omnes immi-" nuti, cum sopore, plus minus profundo, super-" stite motu cordis et arteriarum *." Dr Cooke qualis sequitur, ejus definitionem suggerit: " It " is a disease in which the animal functions are " suspended, while the vital and natural functions " continue, respiration being generally laborious, " and frequently attended with stertor †."

SYMPTOMATA PRAEMONENTIA.

Apoplexiae accessio subitanea fere omnino est; adventum vero ejus saepe praemonent, his ex indiciis nonnulla, quae sanguinis circuitum in cerebro turbatum testantur. Ex his notatu sunt dignissima, capitis dolor, vertigo, tinnitus aurium, pulsusque arteriarum, praecipue temporalis, vehementer incitati. Signa haecce haud raro comitantur, epistaxis, memoria amissa, et visus affectiones, velut visus duplex, caecitasque temporaria. Apoplexiae saepe paroxysmum antecedit paralysis par-

---

* Synopsis Nosolog. Method., vol. ii. p. 182.

† Cooke on Nervous Diseases, vol. i. p. 166.

tis singularis, veluti musculorum, articulationis, palpebrarum, faciei uniusque vel plurium membrorum. Si Apoplexiae insultus haud subitaneus omnino sit, ex signis jam recensitis nonnulla, ei quem mox invasurus est, nunquam non ipsius adventum praenunciant.

SINGULAE MORBI DIVISIONES, EORUMQUE INDICIA.

Apoplexiae accessio tres, in universum, formas distinctas assumit, quarum Doctor Abercrombie descriptionem optimam edidit. *Prima* quam induit *forma* (eruditus uti auctor iste scribit,) morbo percussus, humi concidit, sensu motuque privatus, somnoque alto sopitum referens; facies fere rubet; spiritus sono cum stertente reciprocatur; pulsus pleni, haud frequentes, statum aliquando infra naturalem ostendunt. Aliis in exemplis, accedunt convulsiones, aliis contractiones rigidae musculorum partium extremarum; musculorum aliquando lateris alterius contractio, alterius relaxatio. Stupore sic profundo sepultus laborans, spatio temporis, ex horae parte minutâ, paucos ad

dies usque, vel emoritur, pleneve reficitur, effectu ex accessione malo superstite nullo, vel ex statu comatoso sese recipere potest, lateris unius paralysi relictâ. Paralysis haecce, paucos post dies, modo evanescit, aliquando permanet. Functiones aliae laesae, similem in modum, et affici et refici queunt.

Forma affectionis secunda, a capitis dolore subitò torquente inchoatur; pallescit et aegrotat homo; plerumque vomitio est, aegerque crebro, haud semper vero, corruit, conditione defecti animo referente, facie pallidâ, corpore frigente, pulsibusque arteriarum debilissimis. Hujusmodi statum convulsiones aliquando leves comitantur, alias haud concidit homo, dolorem subitaneum, levi tantum fugacique memoriae amissione excipiente. Utroque in casu, ex primis accessionum effectibus convalescit, sui compos omnino fit, et ambulare valet; sed intervallo quodam, ex parte exigua horae, horas ad paucas usque interjecto, capitis dolorem conqueritur, sensumque gravitatis generalem, memoriam amittit, aliena loquitur, inque statum denique comatosum incidit, ex quo expergiscitur nunquam.

Tertia morbi forma, aeger usu subitò lateris al-

terius et loquela, sine stupore privatur; vel si primum accessum stuporis nonnihil comitetur, hic cito evanescit, consciusque evadens, sensus ejus gestu signisque explicare conatur. Nonnullis in exemplis, paulatim in Apoplexiam, paucas post horas, abit; nonnullis, curatione quam decet adhibita, sanitatem ad plenam cito reducitur. Tantillum, alias refici solet, ut loquelae solummodo usum sed imperfectum recuperet, membrumque lateris affecti aegre cumque dolore trahere valeat. Hujusmodi status sat diu potest permanere, novaque potest aeger accessione interimi, alterive cuidam morbo succumbere, signis revenientibus cerebri affecti nullis. Quibusdam in exemplis evenit, aegrum neque ex conditione modo dicta convalescere, nec in Apoplexiam recidere, sed paulatim, tamdiu detinente morbo exhaustum consumi. Apoplexiae paroxysmus, inquit Boerhaavius, soporem altissimum repraesentat, eoque tentatum exercitatione nimioque labore, fatigato comparat. In Apoplexia vera aegri respiratio aliquantum plèrumque impedita, laboriosa et inordinata cernitur, nec raro sonum stertentem edit; quod signum spiritui sonoro adjectum, Kirkland pro symptomate

morbi pathognomonico habet. Boerhaavius et Portal Apoplexiae vehementiae gradum respiratione plus minusve stertente et sonora metiri solebant. In Apoplexia vera, saliva spumosa sive spuma crebro ex ore excernitur, et aliquando vi satis magna expuitur. Pulsus, praesertim ineunte morbo, plerumque regularis, tardus, plenus, et interdum durus observatur; sed brevi post, si haud in melius mutatio est, abnormis, frequens, debilisque evadere fertur. Bellinus tamen affirmat, "Both the pulse and respiration are sometimes so "weak that the patient appears as if dead." Et facies et corpus universum aliquando frigent, sudoreque diffluunt; sed temperatura cutis crebrius altior naturali est, et per eam excretionem copiosam elicit. Oculi in hoc morbo prominere dicuntur, sanguine esse suffusi, interdum semiaperti, crebrius autem prorsus clausi, corneam hebetem, aspectuque vitreo, pupillas varias habentes. Dentes saepe inter se conseruntur, et devorandi facultas plerumque eo usque impeditur, ut cibus in ventriculum nequeat transire. Secretiones mutationis multum raro subeunt; quas copia deficere auctores nonnulli contendunt. Haec vero observatio nuperior haud

confirmare videtur. SCHAET, MORGAGNI, VAN SWIETEN, LIEUTAUD, aliique auctores opinionem tuentur, febrem hancce affectionem comitare; sed si fidem scriptoribus de hac re recentioribus adhibemus, hoc rarius aut nunquam conspicitur.

Spatium Apoplexiae paroxysmi variare multum existimatur; plerisque autem in exemplis, ab octo ad duodecim, viginti quatuor, sive quadraginta octo horas usque, perdurare potest. Duratio forsitan solitior horas circiter triginta implet. Ubi Apoplexia mortem haud extemplo affert, in generalem fere partisve cujusdam paralysin desinit, forma cujus frequentissime conspecta hemiplegia est.

SIGNA CORPORE POST OBITUM COMPARENTIA.

Corporibus Apoplexiâ mortuorum exploratus, indicia varia morbosa in conspectum veniunt; saepe tamen, qualia ad mortem inferendam haud sufficere videntur. Multis equidem in exemplis, laesionem, scrutatio post obitum vel accuratissima nullam detexit *. Ex scriptoribus medicis ve-

* Dr Stark on Apoplexy, p. 273.

tustioribus, Bonetus, Morgagni, Lieutaud, aliique, ad corporum sectiones Apoplexiâ abreptorum, animos praecipue attenderunt: indicia a quibus praeter naturam notata, seculi nuperioris observationibus maximâ ex parte concordant. Fere semper haecce in cranio consistunt, quamvis interdum in corde pulmoneque videntur, "cerebro omnino "salvo et incolumi, solo vitio in pulmonibus appa- "rente *." Ex his praecipua sunt in cerebro sanguinis, in ipsius superficiem ventriculosque seri effusio, pus variis in partibus organi comparens, *Ramolissement* (quod vocant) exulceratio, hydatides, exostoses, cystaeque albuminosae. Hae sanguinis extra vasa effusi absorptionem nunquam non consequuntur, ideoque pro testimonio eventûs talis habentur.

CAUSAE.

In causa Apoplexiae sunt, quaecunque corporis ad hanc affectionem proclivitatem pariant. Caput amplum, collum breve, cum corpore pleniore hanc

---

* Bonetus, Sepulchretum, p. 148.

conciliare ducuntur. Proprietates corporis prius dictae, sanguinis circuitus equilibrium pro rata parte perdunt: postrema, sanguinis momenti in cerebrum propulsui favet, si quando corpus affectibus animi causâve aliâ excitetur. Auctore ingenioso, Doctore Hope *, fabrica modo dicta Apoplexiae haud tam crebro causa praedisponens est, quam hypertrophia sinistri cordis ventriculi, cujus effectus manifestè patent. Richerand et Bretin fabricam corporis apoplecticam, hypertrophiamque sinistri ventriculi cordis, haud raro simul existere, illamque hujus interdum consequentiam esse, opinantur. Suppressio solitorum profluviorum, qualia sunt epistaxis, haemorrhoides, ulcera vetustiora, mensesve, Apoplexiae accessui favent, corporis plenitudinem conciliando. Ejusdem praeter naturam, abdominis praecipue, obesitas, ad Apoplexiam proclivitatem facit, vasa sanguinem vehentia comprimendo, diaphragmatis decensum impediendo, liberumque ideo per pulmones sanguinis cursum prohibendo; unde ejusdem in cerebro congestio enascitur. Aetas provectior

* Dr Hope on the Diseases of the Heart, &c. p. 209.

pronitatem ad morbum comparare dicitur; sed cum omnis profecto vitae pars ei pateat, vel mediam vel labentem aetatem saepissime videtur adoriri. Apoplexiam inter annum aetatis quadragesimum sexagesimumque praecipue accedere solere Hippocrates auctor est *.

Peculiarem corporis constitutionem a parentibus interdum ad prolem derivari, qui denegabit nemo est. Qualis enim matrix sit, talis necesse est quam effingit figura; unde fides orta est de pronitate ad morbos haereditaria.

Forestus quatuor ejusdem familiae, patris scilicet triumque filiorum mentionem facit, quos morbus hicce abripuit, igiturque haud sic dubitat inferre, "Vere hic morbus haereditarius erat." Portal in ejus libro, cui nomen "Apoplexie l' Plethorique" est, eandem amplectitur sententiam, morbumque designat "comme hereditaire †." Accessioni Apoplexiae habitus quidam corporis peculiares favere videntur; cujusmodi est, qualis potus meracioris cibive intemperantia frequenti inducitur. Haec sane crebro Apoplexiam gignere credo.

---

* Hippocrat. Aphorism. Pect. vi, 57.

† Portal, Apoplexie l' Plethorique.

Doctor CHEYNE de hac re loquens dicit, " I am " persuaded that there is so much more in the ha- " bits, than either in the original form or diathesis, " that I venture to affirm, that in nineteen cases " out of twenty of those who die of Apoplexy, the " disease might have been averted or postponed " by temperance *."

Causae Apoplexiae excitantes sive occasionales numerosae admodum sunt, quarum expositionem aliquam praebent morbi indicia in cranio, corpore inciso, comparentia. Haec maxima ex parte sunt, sanguis serumque effusa, tumores, hydatides, concretiones, polyposae, conversiones in os, exostoses, variaeque quibus patet cerebrum laesiones. Res aliae eo inter causas excitantes recensentur, quod ad sanguinis caput versus impeditum faciendum, ejusve liberum ex parte reditur, aptae sunt. Hujusmodi sunt graves animi affectus, sive vehemens mentis exercitatio, intemperantia, conamina nimis valida, inclinatio corporis diuturnior, ligamina, tumores, vasa sanguifera comprimentes, calore subito nimiore fluida rarefacta, congestiones ex frigore nimio pendentes, et dyspepsia chronica.

---

* Dr Cheyne on Apoplexy, p. 46.

Apoplexia excitari fertur corpore calori, praecipue vero radiis solis ferventibus objecto. Ictus solis, sive "Coup de Soliel" (uti vocatur,) lethalem saepe morbum regionibus inter tropicis viventibus attulit. Si Doctori Thomas fides habenda hujusmodi morbus Apoplexia existimandus est.

Frigus vehemens affectionem excitare videtur, praesertim fatigationi adjectum. Cupiditatem tunc somni insuperabilem inducit, quae si ei cedat homo, in mortem saepe desinit. Hoc bene illustrat Doctoris Solander, Josephi Bankes, (Eq.) aliorumque itineris historia, quo frigori vehementi objiciebantur. Doctor Solander frigoris tanti fatigationi conjuncti effectus experientia bene doctus, comites, pro virili, somnum caverent, monuit et precatus est, declarando, "Whoever sits down," said he, "will sleep, and whoever sleeps, will sleep to "wake no more!"

Ob consensum qui cerebrum inter ventriculumque intercedit, et dyspepsiam tam saepe se comitem accessui Apoplexiae praebentem, ad hanc gignendam affectionem illam magnopere conferre, olim opinio vigebat. Hujus autem sententiae fallaciam medici temporis nostri observatio acuta de-

texit *. Dyspepsiam cordis vitia saepe comitari hic auctor affirmat, Apoplexiamque morbum crebro organi istius excipere. Hinc tempore de quo agitur, diagnosi vitii cordis, nulla vera suppetente, signa quaedam caput praecipue afficientia, dyspepsiae referebantur, revera ab eadem aliena, quippe quae ab affectione cordis existente simul omnino provenerant.

Cullenus causas alias excitantes Apoplexiae enumerat; de quibus opiniones scriptorum physiologiae recentium, tam ad operandi rationem, quam ad naturam morbi ab iis inducti, inter se discrepant. Causarum hujusmodi praecipuae sunt, opium, quaedam distillatione praeparatae, aurae mephiticae, fumique alii et vapores nocivi, vel carbonis ardentis, argenti vivi, plumbi substantiarumve aliarum metallicarum.

Pathologiam quod attinet morbi sub capitibus eam sequentibus considerare licet.

Apoplexiae scilicet cum sanguine evasis effuso.
——————— cum seri effusione.
——————— absque indiciis morbosis;

* Dr Hope on the Diseases of the Heart, &c. p. xxi. of Introduct.

quam Abercrombie Apoplexiam simplicem nuncupavit *.

In Apoplexia sanguine effuso inducta, haemorrhagia a nonnullis ex vasibus cerebri centralibus solummodo diruptis, enasci videtur, forsitan ob eorundem in os, statumve a Scarpa descriptum " earthy brittleness," conversionem. Hoc in casu, ad aneurismum sive rupturam proclivia sunt, morbo ea adeo spissante, et inordinate, variis in partibus, contrahente, ut circuitus contentorum impediatur, irritatio qui inducatur. Hinc exoritur status, cui aphorismus Hippocratis nobilissimi accommodatur, " *Ubi irritatio, ibi fluxus.*" Sanguinis vaso ex rupto effusi, tanta saepe copia est, ut Apoplexiam extemplo efficiat, saepius vero aeger stupefactus tantum, brevi post reficitur ; sed horae parte exigua, paucarumve horarum spatio interjecto, effusione sanguinis ingravescente, Apoplexiae plenae succumbere cogitur. Evenire aliquando, anatomiae morbosae edocent annales, aegrum tali sub casu in plenam haud procedentem Apoplexiam convalescere, ex sanguine effuso coa-

* Dr Abercrombie on the Diseases of the Brain, p. 239.

gulationem subeunte, ulterioremque ideo effusionem prohibente. Exitus verisimiliter talis fuit exemplorum (99 et 100) ab Abercrombie prelatorum *. Signa hisce in exemplis, a quantitate sanguinis extra vasa effusi plerumque pendebant. Ubi magna hujus copia fuerit, et substantiam cerebri lacerando, vel ad ejus superficiem, vel in ventriculos sibi viam aperuit, Apoplexia semper subsequatur necesse est. E contrario, ubi sanguinis effusi copia fuerit parva, parteque cerebri separata contenta, paralysis fere consequitur, nisi ubi "ramollissement," substantiae proxime circumeuntis, cerebri existat simul; quo in casu, in Apoplexiam lethiferam desinit †. Effusionis sanguinis sedes, aut superficies, aliave ulla cerebri pars esse potest; corpus forsan striatum pars est, qua saepissime detecta est.

Sed quomodocunque sit res, quae succedit paralysis, corporis latus fere ei oppositum occupat, quo sanguis effusus in cerebro est. In exemplis quibus sanguis in cerebrum effusus haud lethalis evasit, secundum Moulin, Riobe, Serres, alios-

* Dr Abercrombie on the Diseases of the Brain, p. 233.

† Ibid. p. 253.

que, paucorum spatio mensium sive annorum eum penitus absorberi, ejusque in locum membranam colore subflavo, ad formam cystae succedere observatum est. Nostrarum regionum scriptores, cystam hancce permanere semperque vacuam esse, nisi quod fasciae interdum *sui generis* transversae notentur, perhibent. Auctores, e contrario, Gallici, eandem serum vel fluidum aquosum includere, demumque obliterari affirmant. Paralysis a sanguine effuso e vasis in cerebro saepe pendet, ideoque nos adduceret ut inferremus, effectus ejus inter ipsum absorbendum evanituros esse. Hoc autem haud semper accidere experientia edocet.

Multum insistunt scriptores quidam discrimini quod serosam inter sanguiniamque Apoplexiam intercedit; quarum prior, vultu pallido aetateque provectos et infirmiores adoriendo, posterior facie rubente, pulsu valido, aetateque florente officienda insignitur. Qui distinctionem jam dictam patrocinantur, ideo si facere dicunt quod curatio quae casui alteri prorsus necessaria alteri nociva foret. PORTAL, ABERCROMBIE scriptoresque alii, exemplis jam multis ostenderunt, discrimen tale haud experientia inniti, si quidem quae in effusionem serosam

exitum habent exempla, signa saepe Apoplexiae venosae, viceque versa exhibeant.

Multi sententiam tenent effusionem serosam, quae corpore Apoplexia mortui comparet, haud causam, effectum potius esse morbi censendum *. Stoll ait, "In sectionibus hominum Apoplexia "mortuorum saepe dubitus, an serum effusum "causa vel effectus Apoplexiae fuerit †." A Sauvagesio quoque observatum est, ubi aqua in cerebro fuerit detecta, haud sequi Apoplexiam ab ea generari ‡. Dr Abercrombie haec habet, "The "serous effusion in apoplectic cases is not a primary disease, but a termination of simple Apoplexy." (For, says he,) "In other parts of the "body, serous effusion is very seldom a primary disease; it arises as a result either of inflammation "or of impeded circulation, and takes place slowly, "not accumulating at once in such quantity as to "induce urgent symptoms. It is, therefore, in the "highest degree improbable, that it should occur "in the brain as a primary disease, and accumu-

* Stoll. Praelect. p. 367.

† Savauges. Nosolog. p. 848.

‡ Dr Abercrombie on the Diseases of the Brain, p. 219.

"late with such rapidity as to produce the symp-
"toms of an apoplectic seizure. The quantity
"of fluid bears no proportion to the degree of
"apoplectic symptoms. We find it in small
"quantity, though the apoplectic symptoms had
"been strongly marked and long continued; we
"find it in large quantity, where the symptoms
"have been slight; and, finally, we find most
"extensive effusion in the brain, where there have
"been no apoplectic symptoms at all. The di-
"rect inference from these facts is, that in the
"cases of Apoplexy with effusion of serum, the
"presence of the fluid cannot be considered as the
"cause of the apoplectic symptoms."

Ultima Apoplexiae pathologiae, quae nunc considerand superest divisio, ea est, ubi nullam cerebri mutationem morbosam detegere licet. Theoriae plures, parumque verisimilis habentes, de hac re prolatae sunt. Spiritus animales particulis quibusdam malignis, sive narcoticis, extingui aut suffocari, WILLESII opinio erat. SEELMATTER affectionem relaxationi nervorum subitaneae ascribit; NICOLAI spasmo meningium; LECAT et WEIKARD spasmo nervorum vasorumque cerebri tribuunt.

Hujusce morbi natura anomala esse videtur, quoniam statim fere ac accesserit summoveri possit; lethalisque evadere queat, nota nulla morbosa relicta. Hoc mihi inexplicabile prorsus videtur, nisi a circuitu in cerebro, pro tempore turbato aut stagnante credamus exoriri; cujus naturam indicare impossibile foret. *Ratiocinando a priori* ut credamus adduceremur, statum ejus proximum congestionem esse, qui compressionem efficeret; statumque morbi in hoc casu ad conditionem Apoplexiae similem, a sanguine effuso provenientis reduceret; ubique sic sit res, a compressione sanguine effuso effecta oritur. Opinio haecce eo ponderis aliquantum acquirit, quod status morbum prorsus simulans, cranium deprimendo reditumque ex capite sanguinis, vi extrinsecus illata prohibendo, induci possit. Exemplum hujusmodi a ZITZILIANO traditur, juvenis qui, ex collari nimis arcte constricto, Apoplexia affectus est; sed eodem laxato, sanguineque misso, convaluit. Strangulationem ubi collum haud luxatur, Apoplexiam esse simplicem censendam, Doctor ABERCROMBIE opinatur: hujusmodi exempla numerosa adjicere licet. Alii homines derepente statu plane apoplec-

tico conciderunt, citissimeque curatione idonea adhibita, ad se redierunt, vestigio mali tam formidulosi superstite nullo. Quod vero ad rem, de qua agitur, attinet, nullo modo eam melius, quam si Doctoris Abercrombie verba citem, illustrabo. "What the precise nature of that derangement "may be, is a point of the utmost difficulty to de"termine, and perhaps we have not data upon "which it can be determined by legitimate in"duction."

DIAGNOSIS APOPLEXIAE.

Affectiones cum quibus Apoplexia confundi potest, sunt, epilepsia, paralysis, syncope sive asphyxia, hysteria et ebrietas. Ex his tamen, indiciis quibusdam singulis propriis, eam distinguere licebit.

Epilepsia laborans, humi concidit, vehementer commotus et convulsus, spasmis simul corporis universi, musculorum praecipue faciei et oculorum comitantibus. Oculi quasi ex sedibus exsilire videntur; multumque fere spumae ex ore moretur. Epilepsiae paroxysmus cito finitur. Apoplexiae

horas quasdam durat, eoque affectus somno quasi alto sopitus cubat, spiritu cum sono stertente absoluto. SAUVAGESIUS de Apoplexia loquens dicit, "Per artuum omnium laxitatem distinguitur ab "epilepsia."

Apoplexia haud in genere, sed gradu ejus vehementiae a paralysi differre videtur. In hac, sensus aliquatenus minuitur, nunquam vero prorsus aboletur. Musculi dimidiae universi corporis partis debilitate plerumque afficiuntur, et vix aut nullo modo voluntatis arbitrio parent. Respiratio fere naturalis est, haud laborat, nec sonum stertentem Apoplexiae proprium ostendit.

Quod ad syncopen et asphyxiam vix decipi possumus, siquidem pulsus in his affectionibus, et respiratio multum semper minuuntur, nonnunquam penitus deficiunt ; in Apoplexia, e contrario, validiora plerumque naturali, plenioraque sunt.

Habitu corporis pleniore foeminas invadens, hysteria aegre aliquando ex Apoplexia discernitur. Sensus vero quasi in gutture globi, risus, lachrymationis suspirationisque paroxysmi, variarum corporis partium spasmi, spiritusque inordinate redditus, hunc ad morbum insigniendum sufficiunt.

Ebrietas pro Apoplexia male haberi potest, ni medicus in casum ante inquisitionem fuerit diligentem. Si nil de causis soporis colligatur, halitus odor aliquando naturam casus deteget. SAUVAGESIUS bene de hac re observavit : "Nisi per "adstantes relatum, vel per vinum vomitione re-"jectum aut odorem vinosum anhalitus, species "morbi patet, illa pro sanguinea reputetur, magno "artis scandulo."

PROGNOSIS.

Quum Apoplexia morbus sit, plurimum periculi habens, a laesioneque organica pendet, augurium de eo edendum, plerumque infaustum sit necesse est.

Signa Apoplexiae, quae fausta plerumque existimantur, sunt pulsus fere naturalis, respiratio parum turbata, sudor calidus, modicus et generalis, sanguinis, variis ex corporis partibus, praecipue ex naribus, vasibusve haemorrhoidalibus profluvia, alvusque facilis.

E contrario, si Apoplexiae spatium diem unam excedat, si pulsus labant et intermittunt, si frigi-

ditas partium extremarum, cum convulsionibus sudoribusque glutinosis, respirationis simul vi magnopere minuta, accedunt, mortem inevitabilem, jamque in vicino esse, fere praedicere licet.

CURATIO.

Symptomata ubi solita Apoplexiae instantis morbum praenunciant, medicum saepe penes erit, auxilia ad quaedam decurrendo, paroxysmum prohibere. Multum hic sanguinis detractioni est fidendum; cujus copia missu necessaria pro corporis constitutione, viribus aetateque aegri, et vehementia quam ostendat morbus, regenda est. Habitu corporis pleno validoque, praecipue si signa accessum vehementer praemonent, ad sanguinis missionem et localem et generalem statim confugere necesse erit. Apud aetate provectos, corporaque infirmiora habentes, hac in re cautionem adhibere opportebit; sed hoc etiam in casu, si signa morbi graviora sint, cucurbitulam opus erit nuchae sive temporibus accommodare. Sanguinis licet detractioni maxime sit confidendum, alia supersunt auxilia quae periclitari necesse erit; qualia sunt medicamenta, for-

titer purgantia et enemata stimulantia. Cui curationi adjici hortantur medici quidam, rubefacientia fomentaeque validiora, ad crura pedesque admovenda. Diaeta porro tenuis, et quicquid ad tranquillitatem et animi et corporis conciliandum conferat, praecipienda sunt.

Inter ipsum Apoplexiae paroxysmum, Doctor Cooke * laborantem, si fieri possit, in conclave spatiosum deferri monet, cui aëri frigidulo aditus liber pateat. Tali esse situ servatim oportebit, qualis sanguinis caput versus impetui minime faveat. Ligamina cuncta, praecipue collum circumdantia, cito submovenda, et crura pedesque calidam in aquam demittenda, vel stimulantibus perfricanda sunt.

Quod ad sanguinis missionem, haud omni ex parte, inter medicinae cultores convenit. Hippocrates veteresque apud Graecos medici, hujusce auxilii usum reprehendunt. Apud recentiores etiam, Heberdenus et Fothergill, haud sane parvi nominis viri, utilitatem ejus in dubium vocant. Fothergill sic de re loquitur: " I am of

---

* Cooke on Nervous Diseases, p. 288.

" opinion that bleeding in Apoplexy is for the " most part injurious, and that we should probably " render the most effectual aid by endeavouring, " in all cases, to produce a plentiful discharge from " the stomach and bowels, as by these revulsions " the head is much more effectually relieved from " plenitude, and that without weakening or inter- " rupting any other effort of nature to relieve her- " self, than by venesection *."

Heberdenus, aeque ac medicus modo citatus, sanguinis missionem dehortatur; sed utilem fore concedit, apud aetatem adultam agentes, corporisque habitu pleniore preditus †.

Opinionem vero qui contrariam tuentur, auctorum illustrium cohortem preferre possumus; inter quos nomina, Sydenhami, Wepper, Boerhaave, Van Swieten, Morgagni, Baglivi, Pitcairn, Hoffman, Cullen, Gregory, Portal, Cooke, Cheyne et Abercrombie elucent. Dr Cheyne haec habet, " I am desirous of removing every " objection to blood-letting, which I am convinced " is not only the most effectual remedy in Apo- " plexy, but is more effectual than all the others " in use." De eadem re Abercrombie loquitur,

* Fothergill's Works, vol. iii. p. 210.

† Heberden, p. 210.

"Our first great object is to take off the impulse "of the blood from the arteries of the head, by "bleeding carried to such an extent as shall power-"fully and decidedly affect the system, and by re-"peating it at short intervals as soon as these "effects begin to subside."

Opiniones igitur argumentaque medicorum partis majoris, sanguinis in Apoplexia tractanda missioni et generali et locali favere videntur. E brachio cum detrahere venave jugulari, sive arteria temporali possumus; sed ex prima potius postremaque parte convenit. Ubi arteriam temporum incidendam selegimus, haemorrhagia vasum dividendo supprimenda, ne ad faciarum usum decurrere necesse fiat, quae reditum sanguinis a partibus adjacentibus prohibendo, noxam compararent. Sanguine detracto, proximum est, ut purgationem validam extemplo institueremus.

Medicamentum ad hoc propositum aptissimum, Doctor Abercrombie oleum crotonis esse perhibet, dose duarum triumve guttarum sumptum. Si aeger deglutire nequeat, id decocto hordeaceo sine mucilagine quadam innatans per tubum ex gummi resiliente in ventriculum ingestum vult. Olei quoque expediet effectum per alvi ductionem

accelerare. Purgationem actuosam servandi causa, calomelas, jalapa, elaterium, sulphasve magnesiae, sennae sociatus, recte administratur. Apoplexia tractanda, frigida capiti admota, ad mitigandum morbi impetum conferre multum, et interdum spatio paucorum *minutorum*, Apoplexia plena prehensum reficere, Doctor ABERCROMBIE se vidisse dicit.

Vesicatorium capiti applicitorum usus olim hoc in morbo multus erat ; nunc autem, nisi cum dolor multus capitis gravi accessui superest, auxilium hocce penitus in desuetudinem abiit. Alia sunt duo remedia quarum efficacitas ad malum curandum multum effertur. Haec sunt emetica cardiaca stimulantiaque. Emeticorum usus jam nunc per multum periculi habere ducitur, quoniam ut videmus, medicus decernere haud valet, sanguis necne fuerit effusus ; quod si accidit, vix dubium esse potest, quin vomitus morbum pro mitigando graviorem potius faceret. Tunc tantum proficere conceditur, ubi Apoplexia a ventriculo nimis gravato, provenerit.

Cardiacorum usus apud Graecos veteres vigebat multum, multumque Apoplexia curanda proficere existimabatur ; quippe quam credebant a malo cor-

poris habitu proxime pendere. Eorum vero hodie utilitas in dubio magnopere versatur.

Ab Apoplexia convalescente, ut mali reditum praeveniat, omni cura est ad regimen idoneum attendendum. Quod ad potum cibumque attinet, maxima utatur temperantia necesse est. Potus omnigenos stimulantes cibosque concoctu difficiliores evitare oportebit.

Ad causas morbi probe semper est respiciendum. Animus tranquillus est servandus ; cuncti quoniam affectus ejusdem vehementiores periculum minantur. Vita sedentaria, praecipue studiis literariis dedita, hunc ad morbum proclivibus verisimili est, nocebit. Exercitatio igitur sub die modica benefacere forsan reperietur.

Qualia modo proposui, auxilia sunt, Apoplexia tractanda necessaria usurpari. Morbum esse videmus, qui vel plurimum semper periculi habet, veraque forma prodiens, fere nunquam non lethum affert ; et si quando curationem recipiat, haud in morbo, jam praesente allevando, sed accessione ejusdem praecavenda, spem salutis ponere, licere. Prophylacticam (quam vocant) igitur hic curandi ratio inculcari nimis, nimis sedulo servari nequit.

FINIS.